Q. F. F. Q. S.

DE

SUDORE CHRISTI SANGVINEO,

BREVIS DISSERTATIO,

PARS PRIOR

Eruditorum ventilationi exhibita,

Indulgente Venerand. Facultat. Theolog.

PRÆSIDE

VIRO Magnifico, Excellentiſſimo & Reverendiſſimo, in CHRISTO, Patre ac Domino,

DOMINO

D. JO. FRID. MAYERO,

Sacræ Regiæ Maj. Sveciæ, Magnæ fidei Viro, Conſiliario, in Sacris, Primario, Generali, per Pomeraniam Svecicam, Rugiamq; Superintendente, Profeſſore Primario, Academiæq; Pro-Cancellario, & h. t. RECTORE, Facultatis item ſuæ Seniore, atq; DECANO,

Dn. Fautore & Patrono, ſingulari honoris cultu, ætatem proſeqvendo

à

SVENONE O. NORMANNO,

Sudermannia-Sveco.

Ad diem 2. Octobr. Anni MDCCVI. in Auditorio Majori.

GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.

Clariſſime

DN. M. NORMANNE,

ξύσσιλε dulciſſime.

LAude digniſſimum optimi ingenii Tui ſpecimen eſt, qvod elaboraſti: qvod ut ſublimitate argumenti ſeſe commendat, ita & inſigne pietatis ſtudium arguit. Hoc vero eſt qvod Studioſum Theologiæ apprime ornat, ſi animum eruditione pariter & pietate explere allaborat, ut ſeſe fructu crucis CHRISTI vere participem eſſe demonſtret. Utriqve TE Spectatiſſimi Parentis Tui deſtinavit amor. Nec defuit paternæ ſpei induſtria Tua, qvi publicis privatisqve exercitiis præclare obeundis ingenium Tuum & amorem in ſacra nobis, per annum & qvod excurrit, pulchre teſtatum feciſti. Ejus expectationi reſpondere ſi porro laudabili opera anniſus fueris dignum TE exhibebis, cui laurea etiam Theologica merito conferatur: Qvam ut brevi obtineas Spiritus Sancti perpetuam ſtudiis Tuis aſſiſtentiam ex animo apprecor. Vale.

T. T.

11. Octobr. 1706.

BRANDANUS HENRICUS GEBHARDI, D.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE 58700 (4)

Secundante Numine!
Ad Lectorem.

HAbes heic, Lector Benivole, Diſſertatiunculam, materiæ tantum nobilitate, commendabilem, levi brachio exaratam. Mearum qvoqve partium eſſet jam telam hujus Diſſertationis alteram, qvam exorſus ſum, de ejusdem ſudoris ſangvinei dignitate vi, & efficacia in ſatisfactione, ſive de Sangvine CHRISTI expiatorio, pertexere, eandemq́ contra adverſarios, tam vetuſtiores, qvam recentiores, vindicare ac defendere; ſed temporis præanguſta ratio urget, ex celebri hac Muſarum Alma, ad alias Europæ partes divertere, ideoqve oblaterantes illos hoſtes linqvo. Jactent ſua vulnera Franciſcanorum Domicanorumqve cohors ſtolida, clamitent ſuam ſanctimoniam proh pudor! fucatam, Pietiſtarum infrunita turba. Nos tamen non pigebit in dulcisſimi noſtri Salvatoris JESU CHRISTI vulneribus, tanqvam ſub panaceâ ſaluberrima, deliteſcere tuti, ab illorum contagione, qva nos ſummo niſu inficere conantur. O qvam verſutus eſt, ac tortuoſus ille μυριοτεχνίτης! Dolendum plane eſt, qvod Eccleſia Orthodoxa ubiqve locorum ita vexetur tempeſtatibus, ut ne ſeptemtrio qvidem noſter immunis ſit, qvin pertentetur turbulentis his ſpiritibus; in qvo tamen, SUMMUM

NUMEN, Spiritum ſuum ſanctisſimum reqvieſcere voluit, & REX NOSTER AUGUSTISSIMUS *qvietam, puram, ac illibatam conſervare, omni conamine & zelo ſtudet. Errones enim hi vaferrimi, qvandoqvidem ſciunt malum hoc foras, ex urbe & orbe noſtro hyperboreo, mandato Regio, eliminari, ac eradicari: non ideoq; deſiſtunt omni occaſione, homines ſuæ faraginis, perverſorum dogmatum nugatores, eodem pietatis ſipario, larvatos ſubornare: qvi, Horbiano auſu, ſemina ſua peſtilentisſima ſpargere, omnes animi nervos intendant. Exemplum eſt Studioſus Halenſis, qvi, ante tempus, plus minus bimeſtre, per hanc Urbem, Stockholmiam iter direxit, qvi, inter alia fanaticorum ſcripta manipulatim ipſi, (uti* J. C. DIPPELIUS, *inſignis fanaticus, mihi,) ſine ære, divulgandi ergo, tradita, magnam copiam exemplarium variarum rerum pietiſticarum, præcipue* JOACH. LANGII, *Rectoris Berolin. idæam Schelgvig. de hæretificibus, &c. (qvi, ut Magnif. Dn.* D. FECHTIUS *dicit, ſcripta pietiſtica calumniantia non ſcribit, ſed cumulatim cacat) clanculum ſecum portabat; qvibus edecumatus ille verborum architectus, qvum rationibus, ut ceteri, non valeat, ſatyrico ſale orthodoxa ſcripta ſemper perfricat, ac malam* Pietaſtrorum *cauſſam mordicus agit, ut albo calculo notentur, vel minimum Syncretiſmo adhibeantur. Sed, qvis inconſulte, ac ſtolide fidem habeat fraudibus illorum amentatis, verbisqve ſpecioſis. Nullo profecto carbone dealbari poſſunt. Ceterum, ne falcem hac occaſione videar nimis in alienam meſſem immittere, hæcce in oportunius tempus differam. Dignæ tantummodo jam ſunt illorum ineptiæ imaginariæ, qvas, cum Heraclito, h.t. potius deploremus, qvam, cum Democrito, in riſus ſemper effuſo, eas rideamus. Vale!*

SUMMA-

SUMMARIUM.

§. I. *Evang. Lucæ dictum, de Sudore CHRISTI Sangvineo, proponit, ejusq; vindicias.* §. II. *Qvæſtionem, de Sudoris Sangvinei eſſentia, continet.* §. III. *Qvosdam perſtringit, de ejus eſſentia & cauſſa, frivole Philoſophantes.* §. IV. *Ejusdem ſubjectum, cauſſam, materiam, formam ac finem, miraculoſumq; actum exponit.* §. V. *Disſentientium argumenta diluit.* §. VI. *Eundem ſemel emanasſe, asſerit.*

§. I.

SPecimen qvoddam, in Theologicis, volventi mihi non aliud obverſatur utilius, qvam illud, qvod λύτρον Servatoris ſanctiſſimum concernit. Ejus enim contemplationem plurimum collaturam eſſe ad accendendam pietatem, adq; amaranthum beatitudinis inflammandum hominem, teſtatur G. J. Voſſius. *(a)* Qvapropter & ego, apud animum meum propoſui, nonnihil meditari, atq; pie ſuſpicere purpureum illum, & ſumme ſalutiferum ſuccum, Sudorem JESU CHRISTI Sangvineum, qvem Evangel. Lucas his verbis exprimere voluit: *(b)* *ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. Καὶ γνόμινος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέστερον προσηύχετο. Ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν.* Qvæ verba, qvanqvam exſtantiora ex contextu comparent, qvam, ut de illis qvis ambigere potuerit: non tamen defuere, qvi au-

 dacia

(a) *In opere de Orig. & Prog. Idolol. Lib. II. c. 70. & Lib. de Phil. c. V. §. 9. 10.* (b) *Luc. XXII, 43. 44. ead. hiſt. ap. Matth. XXVI. atque Marc. XXIV.*

dacia plane Sacrilega ea expungere non dubitarunt; qvod Hieronymus, *(c)* & Hilarius, *(d)* ex qvibusdam exemplaribus, illorum ævo, ſuſpectis, comprobant. Verum, violatores eorum in promptu ſunt: Turbabatur enim illico Eccleſia DEI, unico, poſt CHRISTUM, ſeculo duntaxat præterlapſo, peſtilentiſſimis hæreticis, qvos antiqvitas Docetas nuncupat, qvorum dux & choragus Saturninus *(e)* fuit, obtrudens orbi œcumenico putativam ac phantaſiaſticam CHRISTI carnem, ejusdemq; actiones, paſſiones, ſangvinisq; emanationes minime reales, &c. Hujus etiam peſſimæ farinæ hæreſiarchas continua ſerie, ſubſecutis temporibus, perennaſſe, affatim loqvuntur Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, *(f)* qvi eadem fere oberrarunt corda, cujusmodi ſunt: Baſilides, Cerdon, Marcion, Apelles, Manichæus aliiqve, qvi, ſine dubio, pro ſolito nefario, & plus qvam diabolico auſu, vim intulerunt ſacris literis. Niſi vero qvis pedibus iverit in ſententiam Hieronymi, *(g)* qvi exiſtimet hæcce verba eliſa eſſe præpoſtero Orthodoxorum ſtudio, conſulendæ CHRISTI Divinitati, contra Arium: qvod minus nobis arridet, qvum hoc modo, non hæc Evangeliſtæ verba ſolum, ſed & reliqva omnia, Arii abuſibus obnoxia, fuiſſent eraſa. Hinc Critici Sacri Angl. in Annot. ad h. l. ſub Cit. Grotii: *Illaudabilis fuit & ſuperſtitio & temeritas eorum, qvi hanc particulam & ſeqventem de ſudore delevere,*

nihilo

(c) *Lib. II. Cont. Pel. c. 6. T. 2. operum.* (d) *de Trinit. Lib. X. c. 10.* (e) *alii app. Saturnium, &c. Anth. Menandri ſucceſſoris Simonis Magi Diſcipulus. Conf. Epiphanium. Hæreſ. 23.* (f) *Vide ſis in primis* Wilh. Cave *in ſua Hiſt. Lit. &* Ellies du Pin *in Bibliot. Eccl. Auct.* (g) *In l. c. & Epiphan. in ancherato.*

nihilo graviore de cauſſa, qvam qvod ſupra de fletu deletum diximus. Sed hanc litem non facimus noſtram: Satis eſt impræſentiarum attuliſſe, textum hunc integrum ac illibatum extitiſſe, ante Arium & nominatos Patres; qvod imprimis ſtatuminatur Athanaſii teſtimonio, ſeculo IV: *(h)* Juſtini, qvi ſeculo II. eadem legerat verba: *(i)* atqve Irenæi Eccleſiæ Gallicæ Lugdunenſis Epiſcopi: *(k)* qvi σύγχρονος Polycarpi fuit, & Papiæ, Evangeliſtæ Johannis auditoris diſcipulus. Leguntur inſuper in antiqvo interprete, Syro, Arabe, Æthiope, Latinisqve translationibus plerisqve, tam recentioribus, qvam vetuſtioribus, &c. qvas omnes adferre, longum nimis & operoſum foret.

§. II.

Ad telam vero noſtram breviter pertexendam, conducit ut qvæſtionem, in limine, minime prætereundam deducamus: *Utrum Sudor hic Salvatoris fuerit vere ſangvineus, vel ex natura & eſſentia veri ſangvinis; An vero merus Sudor, ſive Sudor ſangvine tinctus, aqvoſus mere & ſeroſus?* Poſteriorem, inter alios bene multos, tenet Georg. Calixtus: *(l)* qvi, rejecta Theophylacti ſententia, *(m)* qvæ proverbialem urget hyperbolen, de illis dictam, qvi juxta prœmiam, ſangvinem flere dicuntur, *(n)* Euthymii amplectitur; qvi qvandam admittens comparationem, autumat Sudorem vehementer

(h) *Lib. VI. ad Theoph. in qvo etiam anathematizat eos qvi negaverint CHRISTUM hominem ſudaſſe ſangvinem.* (i) *In dialog. ad Tryph. p. 259.* (k) *Lib. III c. 32. & Hier. Ep. 29* (l) *In Concord. Evangeliſtarum Lib. VI. c. 8. p. 358.* (m) *In enarrat. ad cit. Lucæ text.* (n) *Vide ſis ſolid. refut. ap.* B. Dorſchæum *Part. I. Synopſ. Theol. Zach. p. 330. ſeq.*

menter extortum, viribus facultatis naturalis angore labefactatis, & intro qvaſi revocatis; tam copioſum ac ſpiſſum emanaſſe, ac ſi grumi ſangvinis in terram decidiſſent. Huic pollicem premit Grotius, (*o*) rationem addens, non dictum eſſe, *ἐγένετο ἱδρὼς αἵματος*; ſed *ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ, ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος*. Verum enim vero, hanc litem, ex vocabulo *ὡσεὶ* præcipue ortam componere, difficultate laborat exigua; utpote cum hæc locutio freqventiſſima ſit ac familiariſſima Sacræ Scripturæ, non ſemper notam, ſimilitudinem inferens: ſed veritatis etiam exiſtentiam, reſpondentem *τῷ* כ האמיתות non כ הרמיון uti loqvi amant Hebræorum Magiſtri. Eundem in modum commentatur Rab. D. Kimchi, כ האמת שבאה על המליו לאמתת הרבר וכוי' in locum *Eſa. LVIII. 4.* qvod ap. *Eſa. I. 9.* ſimilitudinis vocat כ. Sic particulam illam *ὁριστικὴν* ac determinativam habet, *Neh. Cap. VII. 2.* כאיש *Pſalm. CXXII. 3.* כעיר *Eſa. XIII. 6.* כשר משדי יבוא *Obad. I. 2.* כאחר *&c.* Sic etiam *Phil. II. 8.* inventus *ὡς ἄνθρωπος*, *Rom. IX. 32.* *ὡς ἐξ ἔργων νόμου*, *Joh. I. 14.* *ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς*, *&c.* (*p*) Hinc Chryſoſtomus (*q*) ad part. *ὡς* vel *ὡσεὶ* ait, non eſſe comparationis; ſed *βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβητοῦ*

διορι-

(o) *Cujus verba elumbia ad mentem* Theoph. *& Euth. in voc. ὡσεὶ aff. Nihil eſt unde certo colligas ſudori huic ſangvinem fuiſſe permixtum, &c. Non aliter certe intellexit* Juſtinus *in Colloqvio cum* Tryphone *pag. 260. qvi omiſſa ſangvinis mentione, ſatis habuit grumos dixiſſe, ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου, qvale illud* Virgilii

- - - Saltusqve per artus
Sudor iit—.

(p) *Conf.* D. Sal. Glaſſium *in Phil. ſua ſacra Lib. III. Tract. V. Can. 28.* & Caſaubonus *in Exercit. XIII. Diatr. 9.* (q) *Ad h. l. Comm.*

διορισμȢ. Et ſi maxime concederetur ſimilitudo ſimplex; ad guttas fiat hæc omnino, ratione caſus & deſcenſionis: qvippe earum more conciderunt hæ J. C. guttæ; qvæ tamen non meræ ac nudæ fuerunt guttæ: ſed θρόμβοι, grumi, ut textus habet *(r)*; qvod voc. ſimiliter Ariſtoteles *(s)* exponit, per αἷμα πεπηγὸν, ſeu ſangvinem concretum, qvi ſolet pedetentim θρομβȢσθαι: uti etiam cernere eſt ex ſangvine ſtillante, qvi poſt emanationem extemplò in grumos, per frigiditatem aëris, concreſcit; qvod de materia ſeroſa ac tenui minime dici qveat. Nec præterea in textu nominatur vocab. θρόμβοι tantum (qvod verſio vulgata male per guttas vertit) ſed etiam vocab. αἵματος additur, ad augendam ſignificationem ſangv. qvam optime exprimit Int. Syrus per שלתי, qvod Tremellius & Troſtius vertunt per *dimiſſiones ſangvinis*, & Arabs ſecundum verſionem Romanam, *velut ſangvis deſtillans ſuper terram.* Deniqve obſervatu dignum eſt, Salvatorem plane maduiſſe, & qvidem tam copioſe, ut terra ipſa, qva decumbebat orans, madefacta ſit ſangvineis grumis. Enim vero non poſſumus non largiri, ſerum & ſudorem in CHRISTO fuiſſe, qvatenus diſpoſitionem juſtam & bonam

 ex ma-

(r) Dicitur enim ἀπὸ τȢ θρομβȢσθαι, vel ἀπὸ τȢ θρέψαι, ὅ ἐστὶ πῆξαι, ut Euſtathius vult. *Humor ille ſalſus, ſeu ſale & aqua permixtus, qvi in ſalifodinis foſſilibus deſtillat, cum concretus & ſpiſſatus eſt vocatur θρόμβοι ἁλῶν ap.* Svidam in Lex. atq; Irenæus Lib. III. Cap. 32. *Dicit Chriſtum globos ſangvinis ſudaſſe. Et probe notandum, qvando c. 14. ejusdem libri, ſigillatim recenſet ea, qvæ per ſolum Lucam, de verbis & actis Chriſti cognovimus, tunc ſudorem ſangv. prætermittit*, qvod Obſ. in Harmonia Chemnitio-Lyſero-Gerhardiana ad h. l. Cap. 182. p. 1747.

(s) Sect. 2. prob. 2.

ex maſticatione, digeſtione atq; chylificatione ordinaria ortam in eo præſupponamus; non ideoqve majori copia fuiſſe concedendum eſt, qvam neceſſarium ejus excrementum, & optimè temperatum corpus permitteret. Ut enim optima conſtitutione corporis fuit, & perfectiſſima valetudine CHRISTUS; ita tanta ipſi Sudoris qvantitas, morbificam cauſſam arguens, ejus ſanctiſſimo puriſſimoqve corpori ineſſe minime potuiſſet; eſt enim Sudor, monente Philoſopho, *(t)* *κακῶς προσωκοδοκημένον ἐςὶν ἐν τῆ σαρκί.*

Qvibus paucis bene perpenſis, manifeſtum eſſe duco, Sudorem hunc fuiſſe vere ſangvineum, ac verum ſangvinem; Ideoqve ad ejus emanationem propius nos conferimus.

§. III.

Qvandoqvidem contraria juxta ſe poſita clarius eluceſcunt; ideoqve pauca ex magna hac divortiorum mole, ejusdemq; fautores, tamqvam per tranſennam, perſpexiſſe juvabit: qvippe cum arbitrentur ſe non deſtitutos eſſe firmis rationibus, in defendenda theſi, de emanatione Sudoris ſangvinei naturali. Qvos inter, in primis *Voëtius* eſt, *(u)* *Corderius* *(x)* & *Maldonatus* Pontific. (frivolus ille ratiocinator) ad h. l. *(y)* dicentes: Angorem inflammaſſe corpus, commoviſſe affectus, & extenuaſſe ſangvinem, ac apperiiſſe poros; atqve ita

(t) Ariſt. *l. c. & hiſt. anim.* L. C. *1. 17. conf. etiam* Carteſius *in de Hom. P. 3. de Sangv. de excrem. &c.* (u) *In Diſſert. de Agone & Deſcenſ. CHRISTI.* (x) *In Catena Patrum Græc. fol. 528.* (y) *Qvi judicio etiam acutisſimi Theologi* J. A. Schertzeri *in Syſt. Theol de Euch. p. 377. Phariſæus nuncupatur qvi culicem percolaturus, ſemper camelum deglutit. dum etiam DEUM in generatione filii, qvoq; hermaphroditam fuiſſe, ait &c. (ſic Poſnerus Wit. Qvenſt. p. 3.)*

ita qvidem, ut ſangvis, Euripi inſtar, rurſum prorſum agitatus, ac attenuatus, una cum ſeroſi humoris copia, ex venis, per cutem, eruperit. Addit *Baradius*, *(z)* angorem CHRISTI fuiſſe naturalem, E. & ſudorem, &c. Et *Svarezius* argumentatur apud *Franc. Qvareſmi*, *(Aa)* dicens: ſi ſangvis fuiſſet miraculoſè emanans, & non vi interioris afflictionis emiſſus, non fuiſſet ſignum certum & evidens maximi angoris & triſtitiæ interioris; qvia miraculoſè etiam poterat emitti ſine afflictione. Deinde, *Voluſius* qvidam, apud Plinium, in ſcenam producitur, *(Bb)* qvi mentionem facit ſangvinis ſtillantis ab oculis, & per mammas nimio ſuctu exhauſti, vel aliunde per violentiam excreti. Ut & *Hippocrates* *(Cc)* ex morbis criticis; in qvibus humor bilioſus, anteqvam in vaporem convertatur, ſub propria forma, per Sudorem excernitur. Pro fundamento deniqve plurimi hujus ſententiæ patroni, atqve medici infra nominati, *(Dd)* ſternunt Stagiritæ *(Ee)* exemplum de ho-

(z) *Ad h. l. annot.* (Aa) *Tom. V. de Vuln. Chr. p. 14.* (Bb) *Lib. II. Cap. 38.* (Cc) *Lib. I. de morbis, qvi pituitam & bilem exc. Conf. præterea* Alex. Benedictus *in hiſt. de partibus humani corporis. Lib. V. Cap. 2.* Sennertus *in Inſtit. medicis Lib. II. Cap. 10. 11.* Gvil. Rondelitius *de methodo dignoſcendi morbos Cap. XI. p. 684.* Matth. Polus *in ſua Criticorum Synopſi ad h. l. videtur illis adſtipulari, qvum Virgilii hyperbolicam locutionem allegat. Qvos inter eminet* Voglerus *in Phyſiologia paſſ. CHRISTI: qvi, qvamqvam, ut reliqvi, cauſſis naturalibus nimis tribuerit, mitius ac pius magis de iſto loqvitur. Integra etiam volumina de Sangvine CHRISTI ejusqve Sud. Sangv. congeſſere* Thom. Bartolinus, Steph. Clozius *&* Franc. Collius, *Pont. in qvos, poſt deductas has lineolas in* Magnif. Dn. Præſidis *locupletisſima Bibliotheca nobis aperta, incidi.* (Ee) Ariſt. *Lib. III, Cap. 5. & Cap. 19. de part. animat.*

de hominibus *κακεξία* laborantibus, Sudorem aliqvaliter deſudantibus. Cujus cauſſa eſſet corpus rarum laxiusqve redditum, & ſangvis ob minorem concoctionem humeſcens ſereſcensqve; qvum calor perpaucus venularum digerere illum non valuerit: ſed in ſubſtantiam à natura alienam depravarit, induxeritqve cacochymiam. Atq; ſic facto ſangvine tenui ac ſeroſo, porisqve laxioribus, facile contingere poſſe, ut pro vapore humido, non vapor ſolum, ſed qvantuscunqve etiam ſangvis (h. e. non ſangvis ſtricte dictus & ejus rubicundæ ac fibroſæ partes, ſed maſſæ ejus ichor ſeu ſanies ac ſeroſiores partes rubedine tantum tinctæ & excretæ) per ſeroſitatem ſuam evadat emicetqve. Producunt etiam homines qvamplurimos (qvorum exempla adferre ſupervacaneum eſt) præ nimio angore vel conſternatione, non tantum ſangvineo ſudore madidos fuiſſe, ſed ipſa etiam morte demum correptos; qvod qvoqve ex virgine Qvedlenburgica, non adeo pridem vivente, Blutſchwitzerin nuncupata, comprobatur. Hinc colligunt, CHRISTUM fuiſſe, vel affectibus contrariis, amore, timore, triſtitia, angoreve, vel vitiato corpore, proveniente ex vitio alimentorum mali ſucci atqve noctium, qvas inſomnes egit, male diſpoſitum vel (*Ff*) ſtatum ejus naturalem immutatum eſſe, humoresqve inqvinatos, atqve ſic ſangvinem cum ſudore evaſiſſe.

Hiſce leviter prælibatis, accingimur ad nodum ipſum ſolvendum, atqve has adverſariorum tricas decidendas.

§. IV. Spi-

(Ff) *All. ap.* Qvenſtedium *in Diſſert. de Aqva ex latere CHRISTI profluente, conf. ulterius.* *D.* Schmidt. *de paſſ. Ch.*

§. IV.

Spinoſa profecto & variis circumſepta eſt dumetis temere Philoſophantium hæc qvæſtio; Sed ut nimis ratiocinantes acutiſſimos perſpicaciſſimosqve ſe cupiunt videri: ita plerumqve ſolent, in rebus præcipue divinis, caligare ac impingere. Ideoqve è re eſt, ut, miſſis argutis ineptiis, ratiociniis moderate utamur: qvò nodi ſtricturam in ſacris latentem inveniamus, inſtituendo qvæſtionem: *Utrum naturaliter ſeu naturali modo; an vero miraculoſe ſupernaturali modo efluxerit Sudor Sangvineus Redemptoris?* Nos poſteriorem tuentes ſententiam, diſtingvimus heic inter *rem ipſam, & rei modum;* Statuentes qvidem rem ex ſanctiſſimo Salvatoris corpore excretam & emiſſam, qvà ſubſtantiam, eſſentiam & entitatem ſuam ſpectatam, ſangvinem fuiſſe verum, realem ac naturalem, ut oſtenſum eſt in §. II. *rei* vero *modum* ac excretionem ipſam, omnes exceſſiſſe naturæ vires, omnemqve rationem ac ratiocinium, aſſerimus: qvod ſub ſeqventibus probabitur theſibus.

I. Fundamenti loco, ante refutationem argumentorum adverſariorum, conſideremus ipſum Salvatorem, ejusqve grande ſummeq; ſtupendum redemtionis myſterium, infinitas pœnas, toti humano generi, ex debito injunctas, ſuſtinendo; dum vel ipſum *SUBJECTUM ſudans* ſpectemus, qvod fuit non ψιλὸς ἄνθρωπος & nudus homo, ſed θεάνθρωπος: *(Gg)* Verus enim ac infinitus DEUS eſt, qvi in perſonaliter ſibi unita carne,

 ſangvi-

(Gg) *CHRISTUS enim ut ſolus homo non præſtare potuit hanc ſatisfactionem, qvia tum actiones ejus finitæ tantum fuisſent; ſangvis vero & pœnæ finiti valoris, pro infinitis pœnis, ſatisfacre non potuerunt.* Nec

ſangvinem ſuum propter peccata noſtra, & infinitas pœnas effudit. Hinc eſt *(Hh)* qvod ſacra oracula concretivo utantur termino, ſcil. *DEUM Sangvine ſuo acqviſiviſſe Eccleſiam*; Actor. XX. 28. *Filium DEI tradidiſſe ſemet ipſum*, Gal. II. 20. *Filium hominis habere poteſtatem remittendi peccata*, Marc. II. 10. &c. Ubi proprium naturæ tribuitur ipſi συνθέτῳ, atqve concreto alterutrius naturæ, appropriatione qvidem non nude σχετικῇ & analogica, qvæ ad membra CHRISTI myſtici corporis pertinet; ſed ὑποςατικῇ *(Ii)* profluente ex unione duarum in perſonæ unitate naturarum. Hinc eſt, qvod DEO paſſiones & effuſiones ſangvinis humanæ naturæ, mediante

Nec natura humana in CHRISTO, potuit illud pondus infinitum, qvo premebatur, & illam luctam, qva angebatur, ſuſtinere, niſi divina natura illam ſuſtentaſſet, unde Eſaias Cap. LIX. 16. *fecit ſalutem ſibi brachium ejus & juſtitia ejus ipſa fulcivit eum.* (Hh) *Conf. Clariſſ.* Gerhardus, Hutterus, Brochmannus, Qvenſtedius *in Syſt. Theol. loc. de CHRISTO & idiom &c.* (Ii) *Qvod notatu dignum eſt contra Fanaticos* καταχρηςικῶς Pietiſtas NB. *app. qvi CHRISTUM ita in nobis per ſuam ipſius ſubſtantiam eſſe pronunciant, qvalia ſunt illa paſſim in illorum ſcriptis occurrentia:* Chriſtus werde würcklich und weſentlich in uns empfangen/ als in eine Mutter warhafftig gebildet und gebohren; Ein Gläubiger ſey dahero warhafftig Chriſti Mutter/ und könne auch warhafftig von ſich ſagen: Ich bin Chriſtus. So denn der ewige GOttes Sohn iſt in denen Gläubigen ein Schneider/ Schuſter und dergleichen Handwercks-Mann. Darinnen auch *Paracelſi* und *Weigelii* Meynung vom Fleiſche Adams und Chriſti nach den *Principiis* der Myſtiſchen *Theologie* aus der Natur und Göttlichen Geheimnis wird gelobet und ausgeführt/ ꝛc. *Vid. Diſſert. ſub Magnif. Viro* D. Joh. Fechtio *habita. Conf.* Bücherus in der treuhertzigen Warnung von dem aufruhriſchen Qväcker-Geiſt/ *& in Pietiſta* ἀσυμβόλῳ. *In Plat. myſtico, &* Schelg. *Synopſ.*

ante ὑποστάσει attribuantur ac approprientur, ita, ut utraqve natura ad apoteleſmatis, & actionum officialium productionem concurrat. Præſertim vero ex unitione hoc notum eſt, in qva DEUS humanam ſibi univit naturam, non homo Divinam; Ejus ideoqve eſt communicatio cujus eſt unitio, & ea natura, qvæ univit alteram, illa & communicavit alteri: atqve ſic qvodcunqve alterutri per unitionem tribuitur, id pro fundamento agnoſcit perſonæ identitatem ſeu unitatem. CHRISTUS enim, ut ſolus DEUS, pro nobis ſatisfacere non potuit; nam ſic ἀπαθὴς mere fuit, & propter peccata noſtra ſangvinem effundere plane non potuit: ſed totus CHRISTUS, ſecundum utramqve naturam. *(Kk)* Ut adeo nihil non, qva περιχώρησιν perſonalem, homini contingere poſſet, cujus non particeps ſit & DEUS; & nihil non paſſus ſit homo CHRISTUS, qvod non paſſus ſit DEUS λόγος; Qvippe actiones & paſſiones ultimate ac terminative ſunt ſuppoſitorum; & qvod etiam partis eſt, qva pars, ajunt Metaphyſicorum filii, id etiam eſt totius, ſecundum illam partem. Et è contrario, neceſſaria ſeqvela eſt: Si ſolus homo ſangvinem pro nobis in ἀγωνίᾳ & paſſione effudiſſet, ſeqveretur actiones finitas fuiſſe, & perſonam totam non effudiſſe ſangvinem; qvia ſolus homo vel ſola humanitas non eſt perſona integra: Si vero perſona non effudiſſet ſangvinem, conſeqvens

eſt

(Kk) *Qvod obſ. adv. Veteres hæreticos* §. *I. nominatos & cont.* Jac. Outerman *art. 4.* §. *30. ſeq. dic.* die Gottheit Chriſti habe gelitten/ *divinam naturam tantum ſubjectum paſſionis aſſerens. Ejusdem erroris rei ſunt* Anabaptiſtæ. *Conf.* D. Botſacci Anab. reprob. *Cap. III. num. 10. pag. 45.*

eſt filium DEI non effudiſſe ſangvinem ſuum pro nobis in paſſione, qvod oppido falſum eſt, ac è diametro plane pugnat cum ipſiſſima Scripturæ litera; *(Ll)* qvæ dicit expreſſe, Filium DEI effudiſſe ſangvinem ſuum. *(Mm)* Caro qvidem humana heic fundit ſangvinem, divina tamen natura infinitum addit pondus ac valorem, per qvandam internam ac ſupernaturalem communionem, è naturarum περιχωρέσει, & unione intima náturarum fluentem; bene qvidem obſervando affectiones ἐνεργεμάτων ac ἀποτελεσμάτων naturarum: ne incidamus in alterutrum extremum Neſtorianum ſcil. & Eutychianum. Atqve ſic infinita vi & valore ſangvinem ſudavit ſummus & infinitus DEÚS, Divina & humana natura in perſonâ, unus. Deinde *CAUSSAM ipſam motivam prôximam & extraordinarie efficientem* Sudoris hujus miraculoſi, ſi dignè ponderemus, nulla erit alia qvam vehementiſſima Salvatoris ἀγωνία, *(Nn)* qvæ narratur apud Lucam

(Ll) *Actor. XX. 28. Rom. VIII. 32. 1. Joh. I. 7.* (Mm) *Qvod notetür contra eos, qvi redemptionis opus evacuant, ut* Pontificii, Calviniani, Sociniani &c. *qvin &* Stancariſtæ *atq;* Pietiſtæ, *qvi probabuntur in ſeqviori hujus Diſſertationis titulo, de* Sangvinè *hoc Salvatoris* expiatorio, *qvod eandem CHRISTI ſatisfactionem labefactent, producendo ipſorum verba ex propriis illorum ſcriptis.* (Nn) Grotius *in annot. ad voc. ἀγ. dicit proprie Græci hanc vocem uſurpant de ſummo animi motu in gravi periculo, &c. Et Porphyrius ad illum Homeri locum.*

Τρῶας μὲν τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαςον,
Ἕκτορι τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ ςηθέσσι πάτασσε.

Ita ait: Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι καὶ ὁρῶντες ἔτρεμον, ὁ δ' ἐν τῷ κινδύνῳ καθεςὸς, ἀνδρεῖος ὢν, μόνον ἀγωνία.

Et Harmonia Chemnitio, Lyſero, Gerhardiana *obſervat Cap. 182. pag. 348. CHRISTUM angorem triſtitiam & dolores ſuſtinuiſſe,*

Lucam correptus, in horto Gezemane, ex immenſo peccatorum totius generis humani onere, & inenarrabili iræ divinæ ſenſu, pondus infinitum acerbitatis infernalis addendo, proveniens? Qvæ, ut cauſſa ſupernaturalis fuit noſtri Redemptoris repentinæ mortis, ac humoris ſangvinisqve è latere emanantis, ita etiam miraculoſi hujus ſangvinis ſudoris. Gravitatem ejusdem ἀγωνίας ἑὼς θανάτȣ deſcribunt ulterius Matthæus & Lucas *loc. cit.* qvum dicant, CHRISTUM λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι & ἀδημονεῖν, *(Oo)* qvæ verba maxime emphatica

uſe, absqve omni rebellione affectuum & murmure, imo absqve ulla affectuum ἀταξία. *Et probe notandum eſt, qvod in mediis illis pavoribus CHRISTUS filialem fiduciam de auxilio DEI & Liberatione immotam retinuerit, ſicut ingeminatio illa paternæ appellationis oſtendit, &c.* (Oo) *Ubi obſerv. Heleniſmus voc.* ἤρξατο, *qvo* Origines *deceptus legitur Tract. ad Matth. vel eodem Helen. utitur* Xenephon *dic.* ἤρξατο λόγȣ ὁ Φαρνάβασος, *&c. Præterea in textu additur qvoqve animam Salvatoris agonizantis fuiſſe* περίλυπον *& qvidem* ἑὼς θανάτȣ. *Mortiferus ille dolor ac triſtitia, qva dicitur undiqve circumvallatus ad mortem usqve major certe erat & gravior ipſa morte, tum extenſive, qvia duravit ad ultimum Spiritum, tum intenſive, qvia fuit triſtitia mortifera eminentior ſic* Joh. IV. 10. *dicit Propheta: eſt mihi ira usqve ad mortem, qvia mortem ſibi elegit præ ira & ægritudine,* v. 3. *ſic* Actor. XXII. 4. *dicitur Paulus ſe Phariſæorum ſectæ fuiſſe addictum, eandemqve ſectatum* μέχρι θανάτȣ, *h. e. non ceſſavit, donec morti traderet eos, qvi illi reſiſterent,* Apoc. II. 20. *jubemur eſſe fideles usqve mortem, ubi* extenſive *illud* μέχρι *accipiendum, ut* Calovius *in Bibl. Illuſtr. Fuit hæc triſtitia longe major, qvam homo unqvam in hac vita vel habuit, vel ſenſuit, vel cogitari poteſt, qvod adverſ. Scholaſticos not. qvi ajunt triſtitiam illam fuiſſe in inferiori tantum animæ parte, ſed ſuperiorem maximâ letitiæ luce ex conſpectu eſſentiæ Divinæ fuiſſe perfuſam, &c. Conf. ejusd.* Calovii *Bibl. Illuſtr. ad h. l.*

tica oſtendunt illum immenſi doloris ſatietate lethaliter ſatiſcere ac plane concidere voluiſſe; qvod Syrus interpres, tametſi nos vim locutionis non exhaurire ac ſignificare ſatis poſſimus, optime tamen reddit per למתכמרו à rad. כמר qvod apud Hebr. in Niph. notat ex ardore denigrari & commiſeratione æſtuare. Hinc eſt, qvod os ipſius ſanctiſſimum triſte effatur: Se *περίλυπον*, & ad usqꝫ mortem circumvallatum eſſe omnibus animi anxietatibus ac horroribus, ex ira DEI mortisqꝫ æternæ ſenſu profectis, ut tandem miſere exclamaret: הצילה מחרב נפשי *(Pp)* ac adeo, ut Angelus etiam conſolatorio munere functurus neceſſum haberet ipſum *ἐνισχύειν loc. cit.* & jacenti ſub furore infernali & horrore æternæ mortis ſolamen officioſe præſtare, ut vires defatigatos colligeret ſeqve ad pugnam adhuc creſcentem, cum Patris ira infernaliqve vi, ineundam componeret, *(Qq)* ſic pugna peracta ac ſuperata, Salvator Patrem placavit, maledictionem Legis delevit, ac æternam noſtram mortem, Diabolum adverſarium ac infernum hiantem deſtruxit, qvum *ἀγονίαν* ejusqve pavores *(Rr)* divina vi retudiſſet, & ſangvinem miraculoſa efficacia à corde omnibusqve corporis membris copioſe expuliſſet, ut tandem per arctiſſima optimeqꝫ diſpoſita poro-

rum

(Pp) *Ut vates de illo habet* Pſalm. XXII. 21. (Qq) *Qvod contra* Pontificios *not. Bell. Lib. IV. qvi heic non obſervant Redemptorem non in ſe & abſolute conſiderari, ſed relato & in officio ſatisfactionis. Atqve cont. Photinianos negantes Salvatorem pœnas infernales ſuſtinuiſſe in hac pugna & agonia.* (Rr) *Not. etiam ex textu Evang. manifeſtum eſſe non amori, nec terrori tanqvam cauſæ proximæ, ut qvidam volunt, ſed agoniæ inenarrabili cauſam ſangvinei illius ſudoris tribuendam eſſe; adfuiſſe tamen hos affectus non negamus, alio prædicandi modo, &c.*

rum clauſtra erumperet ſalvus ſalutaris ac miraculoſus ille ſuccus. Deinceps ſi ſpectetur *materia*, atqve etiam *forma* ejusdem erumpentis ſangvinei ſudoris, qvæ non erat ichor viſcoſus, & ſeroſitas aqvoſa, rubedine qvalicunqve tincta ac coloreqve imbuta, ab excremento qvodam ſangvinis vel vitiato corporis habitu orta; ſed ſpiſſarum & condenſatarum guttarum grumi ſangvinis, ex ſaluberrimo CHRISTI corpore ſtillantes, ſubjectæ terræ herbas ſanctiſſima ſua purpura abundanter pingentes. Et deniq; *FINIS*, qvæ totius generis humani redemtio; nulla enim redemtio, ſine ſangvinis effuſione, fieri poſſet, *Hebr. IX.* Atqve ſic firmiter concludimus: Servatorem noſtrum ſudaſſe, ſine exemplo miraculoſum & ſupernaturalem in unitate perſonæ ſangvinem ἱλαςικὸν & ſalvificum ac ſola fide applicabilem.

2. Sangvis deinde omnino heic conſiderandus eſt ut naturalis, qvi ut tubulis & canalibus undiqve incluſus prohibetur carne & cuticulæ tegumento, ne effluere poſſit. Et poſito ſi vel maxime, reſeratis venarum oreficiis, effluat, pori tamen ejus anguſtiores è corpore exitum prohibent, qvum ſangvis longe ſit, qvam ſudor, qvi maſſæ ichor & ſerum eſt, craſſioris conſiſtentiæ: qvippe qvi præter ſerum alias partes habet valde fibroſas ac corpulentas, easqve admodum copioſas, uti qvotidiana experientia cernere eſt in ſangvine ex hominum venis demiſſo; qvi ubi refrixerit ingentem iſtius materiæ vim à ſero, pro conſtitutione corporis, ſeparari videmus. Et ſi vel maxime ponamus naturaliter foramina, qvibus externa cutis ſuperficies

pervia eſt, ita dilitari poſſe, ut non ſero tantum, ſed & ſangvini tenui egreſſus daretur. Fieri id tamen minime poteſt, qvum ſangvis ipſe non eſt tenuis & ſeroſus, præſertim CHRISTI, qvi omnis impuritatis ac labis expers fuit, ſed purus craſſus & bene conſiſtens, qvod emicatio ejus portentoſa probat: qvippe ſimul ac erupit ex corpore ſacratiſſimo, in grumos ſangvineos illico concrevit, atqve ejusmodi craſſitiem habuiſſe videtur ſolidam, qvæ in aliis vix percipere qvis poterit.

§. V.

Hæc, & ſimilia ſeqvenda qvi accurate perpenderit, non poteſt non qvivis, niſi bardus ac ſuffenus fuerit, videre eorum opinionem & errorem falſis niti hypotheſibus, qvi naturales cauſſas in hoc miraculo qværunt, confundentes humana cum divinis, phyſicalia cum hyperphyſicalibus, & CHRISTI integram naturam cum corrupta: dum hariolantur allati *l. c. Voëtius, Corderius, Maldonatus, Voglerus*, aliiqve, affectus angoris timorisqve, tanqvam cauſſas proximas naturales commotionis & extenuationis ſangvinis ac excretionis per poros; qvum ejusmodi affectibus contrarius eſt effectus, nimirum revocandi ad interiora ſangvinem: Unde ſubita formidine correpti expalleſcunt, atqve in venæ ſectione experientia probat, ex nimia conſternatione ſangvinem ſiſti; nec ullo modo probari poteſt ex angore elidi poſſe ſangvinem verum, per poros bene temperatos, qvalis in CHRISTO fuit, integra & ſalva manente ejus forma. Poſſunt qvidem patemata & affectus animi variis modis corpus afficere, ut modo

pale-

paleſcat vel tremore frigeſcat, ſed aliqvam eſſe paſſionem, qvæ verum & naturalem ſangvinem attenuat ac educat, inficiatum ibimus. Nec majorem meretur applauſum, ſi non minorem, qvum *Barradius* dicat, angorem CHRISTI eſſe naturalem, qvo tanqvam fundamento ruinoſo innititur ejus ſeqvela facta: Ergo ſudor ſangvineus eſt naturalis; qvum ἀγονία illa in horto ſupernaturalis & extraordinaria fuerit, non ex nudo mortis naturalis timore proveniens, ſed à cauſſa qvadam altiori CHRISTO imminens, ut ex antecedentibus patet. Sic eodem modo firmo minus nititur tibicini id, qvod à *Svarezio* nobis obvertitur, qvum neget ſangvinem miraculoſe effluentem non eſſe manifeſtum ſignum angoris interioris; Qvaſi vero effectus naturalis & non ſupernaturalis poſſet eſſe certum & evidens argumentum affectuum ac paſſionum CHRISTI, præſertim aliis adjuvantibus, & imprimis ſi miracula habent aliqvam convenientiam cum affectibus & paſſionibus naturalibus, ſicut heic loci. Sic ſanatio verbo tactuve, febricitantis ſocri Simonis, majus ſignum fuiſſe, ac ſi naturaliter ſanata eſſet, qvis negaverit? Qvantam deinceps heic veri ſpeciem habeat iſta argumentatio ex Plinio deducta, de ſangvine ab oculis ſtillante, & mammis ſuctu exhauſto, qvivis, cui ſinciput ſanum eſt, videre poterit; qvum ſangvis ibi vi extrahitur à cauſſa externa, per ſuctionem, qva deficiente, ceſſat excretio; qvod etiam experientia docet ex emuncto violenter naſo. Verum, exſtrinſecum ejusmodi agens, in noſtro caſu, nullum eſt, qvod è CHRISTI corpore emungat ſangvinem, ſed intrinſecum tantum

naturale, ſangvinis emiſſionem qvaſi vetans, & ad ſe trahens, tanqvam ad ſui conſervationem neceſſariam, qvod tamen ſuperiori agenti ut ſupernaturali, foras ſangvinem producenti ac protrudenti facile cedit & obſeqvitur. Et qvanta deniqve ſit differentia inter ſudores iſtos criticos ac morboſos, atqve Sudorem CHRISTI cruentum in incomprehenſibili illa agonia ac paſſione effuſum, ſatis in propatulo eſt. Pudet certe heic proferre comparationem naturæ temperatiſſimæ cum intemperata & miſerabili: Dominam affectuum cum ea, qvæ ex his reſultat motuum compaſſionumqve ſerva: Et *φόβον ἀπολυχίας* ac horrorem mortis æternæ & infinitæ infernalis, cum timore mortis temporalis, de qvo ſolide ſcribit *Joh. C. Danhauerus*, qvi conf. *(Ss)* Hoc ſaltem addamus, nihil abſurdius ab illis excogitari potuiſſe, qvam ea, qvibus ex interno corporis vitio, Sudorem CHRISTI Sangvineum proveniſſe arguere volunt: Dum inſuper malæ ſuæ cauſæ patrocinium qværunt apud Philoſophum *loc. cit.* agentem de qvibusdam cruentum qviddam ſudantibus, qvod ipſe appellat *αἱματώδες περίττωμα διὰ καχεξίαν*, fluxum tribuens corporis laxitati, ac ſangvini, præ cruditate, ex imbicillitate ſtomachi orta, humeſcenti, &c. ut antea Philoſophatum eſt. Verum enim vero, qvis non videt, antecedentibus collatis, hoc falſiſſimum eſſe? qvippe cum Sudor iſte non fuerit *αἱματώδες* & ſangvine tinctus, ſed ipſum *ἅιμα* verum & naturale; aut qvis dicat Salvatorem ulla *καχεξία* correptum fuiſſe? cum fuerit ſumma *ἐυεξία*: Nam ſtatus corporis CHRISTI ab

(Ss) *Danhauer. in ſua Hodoſoph. pag. 501.*

ab hujusmodi coporibus fuit longe diverſiſſimus. *(Tt)* Illi enim cachectici & cacochymici ac peſſimæ conſtitutionis: CHRISTUM vero Θεάνθρωπον integerrima corporis valetudine ac optima conſtitutione fuiſſe temperatum omnisqve Dyſcraſiæ & malæ diſpoſitionis humorum corruptionem cauſantis natura ſua prorſus expertem, nullus dubitet; qvum intemperies minima ad morbum habeat reſpectum, atqve morbus præmonitor & nuntius eſt mortis, qvi ὀψώνιον & ſtipendium peccati eſt; *(Uu)* qvapropter ad CHRISTUM non ſpectabat, qvum & ἀναμάρτητος, ἄμωμος καὶ ἄσπιλος *(Xx)* fuit ſeparatus à peccatoribus *(Yy)* nec morti, nec morbis ad mortem viam ſternentibus obnoxius. Nec unqvam morbo vel leviſſimo tentatum fuiſſe legitur; qvamqvam ſponte ſua in ſacratiſſimo corpore defectus & infirmitates naturales ſubiverit, qvæ tamen adcuratius conſideratæ, naturæ conditiones appellari poſſe videntur; qvippe qvæ in hominibus aliis cum moleſtia conjunctæ, in CHRISTO ſingulare habuerunt privilegium ſine peccato exiſtendi, ut accuratam & omnimodam in ſtatu exinanitionis præſtaret redemtionem, utpote: fames, vel *(Zz)* ſitis *(Aaa)* qvæ appetentia tantum naturalis eſt, ſive ignorantia, qvæ puræ negationis, & ſimilia, &c. §. VI. Deniq;

(Tt) *Obſ. etiam verba* Centurionum Magdeburgenſium *Cent. 1. L. I. c. 10. Exiſtimant docti in iſtis atrociſſimis pavoribus & conſternationibus ſicut aliis hominibus naturaliter evenire ſolet, in CHRISTO homine ad cor recurriſſe itaqve propemodum ſuffocaſſe; ſed CHRISTUM accepta divina conſolatione per Angelum fortiſſime retudiſſe pavores, adeo, ut ſangvis à corde repulſus exteriora ruperit ac per poros effluxerit. Ubi notetur compreſſio pandoris imminentis.* (Uu) *Rom. VI. 23.* (Xx) *1. Petr. I. 18.* (Yy) *Hebr. VII. 26. & Eſ. LIII. 9.* (Zz) *Matth. IV. 2.* (Aaa) *Joh. IV. 7. ſeqq.*

§. IV.

Deniqve accuratius magis, qvam utilius qværi poteſt: *Utrum ſemel, an vero iterum atqve tertio, craſſas has cruoris guttas emiſerit Servator?* Ex Matthæo & Marco videtur qvidem hoc concludi poſſe, ex trino Christi diſceſſu, ac oratione triplici, atqve totidem vicibus ab Angelo perfuncto munere conſolatorio. Verum ea propter ter Salvatorem ſudaſſe, non ſeqvitur; præſertim qvum de ipſa ſudatione altum ſilentium eſt, & Evangelium Lucas (cujus verba ut clariora, cum reliqvorum Evangeliſtarum conſulto omittimus,) unius duntaxat ſudoris ſangvinei emiſſionis, poſt peractas preces & Angeli conſolationem, facit mentionem; atq; tum animo ſpiritibusqve animalibus laxatis, ac omnibusqve corporis partibus miraculoſe patefactis ſangvinem erupiſſe legitur, maxima qva potuit copia. Atqve hoc conceſſo, ut omnino concedendum eſt, CHRISTUM inſuper conſtat fuiſſe optimæ temperiei & ſangvinem homini proportionatum habuiſſe, utiqve non potuit, citra infirmitatem, degere inter mortales, ſi ter hoc modo ſudaſſet, teſte Philoſopho. (Bbb) *Si multum ſangvinis efluit, anima deficit, ſi vero nimium, vita interit.* Verum his miſſis, ad partem hujus Diſſertationis alteram divertimus. Sed, manum de Tabula.

(Bbb) *Ariſt. Hiſt. anim. Lib. I. Cap. 17.*